

Nr. 24.

92

ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PRO-RECTOR AC DIRECTOR,
**IVSTVS HENNINGIVS
BOEHMERVS,**
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIS SANCTIO-
RIBVS, ORDINIS ICTORVM PRAESES VICARIVS,
ET IVRIVM PROFESSOR ORDINARIVS,
VNA CVM
**CANCELLARIO ET PROFESSORIBVS
RELIQVIS,**
**CIVIBVS ACADEMICIS
DIGNAM CELEBRATIONEM**
**VITAE CHRISTI
EX SEPVLRCRO REDEVNTIS**
HUMANISSIME COMMENDAT.

cr.

HALAE MAGDEBURGICAE,
IMPENSIS ORPHANOTROPHEI.
(Anno XIV. 1691)



R

Ediit, CIVES, rediit ex-optatisima dies, memoriae DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI ex mortuis suscitat sacræ, qua merito cum priso fidelium coetu DEO gratias agentes canimus: *Vere dignum & iustum est, aequum & salutare, TE quidem, DOMINE, omni tempore, sed hac potissimum die gloriiosus praedicare, quum Pascha nostrum immolatus est CHRISTVS.* Ipse enim verus est agnus, qui abstulit peccata mundi, qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit. Agedum igitur, laetissima ista veterum adclamatione reciproca: *Surrexit DOMINVS; vere surrexit DOMINVS, nos etiam mutuo excitemus,* si reditum CHRISTI in vitam cum illis in summo DEI beneficio ponimus. Neque vero verba tantum ista sine animi affectu otiose ingeminare satiis habeamus, sed potius cum piis maioribus perpendamus, quanto bono nostro ille nostræ vitae reparator surrexerit, ut facro gaudio perfusus animus noster nil his diebus nisi VIVVM HVNC NOSTRV M REDEMTOREM a) sciat, cogite atque loquatur.

Atquè hunc ipsum in finem meminerimus, CIVES, grauisimi illius & efficacissimi dicti, quo ipse DOMINVS breuiante abitum suum lugentes discipulos solatus est, dum, ζῆ ἐρα, inquit, καὶ τιμεῖς ζητεσθε, b) hoc est, EGO VIVO, VOS ETIAM VIVE-

a) Job. XVIII, 25.

b) Io. XIII, 19.

VIVETIS, c) siue, ET EGO VIVO, ET VOS VIVETIS. d)
Scilicet his ipsis verbis & suam & suorum vitam arctissimo nexu co-
pulat; SVAM quidem, quam morte ablatam breuisima mora inter-
posita resumturus erat, vitam deinceps longe illustriorem in omnia
saecula vieturus; SVORVM autem, qui virtute vitae ipsis cum
ipso, spiru primum, deinde vero & corpore ex mortuis excitandi,
suae maxime similem vitam, iustitia, pace & gaudio in Spiritu
sancto, & tandem etiam immensa atque aeterna gloria abundantem,
mortis vero aequa ac aerumnarum omnium neficiam, sint habituri.

Et sane digna sunt pauca haec verba redemptoris nostri, quae
tot ac tanta rerum pondera complectuntur, vt hac occasione festo-
rum dierum paullo adecuratius excutiantur, quo vim virtutemque
eorum penitus intelligamus, & eo rectius in usum salutarem trans-
feramus.

Initio quidem videndum, quo NEXY cum iis, quae praecedunt,
verbis iungantur, vt de FINE, quem sibi propositum habuit
DOMINVS, eo certius confituisse possumus. Dixerat nimurum
eodem hoc commate: Post paullo iam me non videbit mundus, at vos
videbitis. Continuo vero pergit: quoniam & ego viuo, & vos viuetis.
Sed ad ea, quae longius antecedunt, retro eundum, vt mentem
loquentis planius adsequamur, & notanda in primis verba, quum
DOMINVS: Filioli, inquit discipulis, adhuc paullisper vobiscum sum.
Quaeretis me, ac quemadmodum Iudeis dixi, quo ego abeo, eos ve-
nire non posse, etiam vobis nunc dico. e) Respondit Petrus: DOMI-
NE, quo abis? Cui IESUS: Quo ego abeo, tu non potes me nunc sequi,
sed tandem sequeris me. f) Quibus verbis manifestum est CHRI-
STVM PRIMO loqui de imminente sibi morte, DEINDE adfirmare, se
hoc abito a discipulis diuulsim iri, aequa ac ab Iudeis improbis.
Hoc postremo autem obseruat IESVS discipulos suos animo valde
turbari, g) ideoque eos amantissimis verbis & propositis argumen-
tis erigere studet. Et maxime quidem spe redditus sui eos solatur.
Quod si iuero, inquit, paratum vobis locum, reueniam. h) Id quod
postea repetit, dicens: Non relinquam vos pupilos, iniuisam vos,
siue, redeo ad vos. i) Quum vero animos illorum hoc in primis ange-
re videt, quod ipsis pariter ac Iudeis dixerit, eos venire non pos-
se, quo ipse abeat, adeoque nunquam ipsum reuisueros esse; decla-

A 2

rat

c) Interpretē TREMELLIO.

d) Secundum CASTELLIONIS versionem.

e) Io. XIII, 33.

f) Comm. 36.

g) Cap. XIII, 1.

h) Comm. 3.

i) Comm. 18.

rat iis mentem suam apertius, docetque praerogatiuam, quam prae-
mundo sint habituri, breui scilicet fore, ut, quum moriens abierit,
mundus se posthac nec mentis, nec corporis oculis videat, vsque
ad illum diem, quo ipsum iudicem etiam hostes maximo suo terro-
re conspecturi sint; k) ipsos vero insigni ista praerogatiuagauisuros
esse, vt se videant, l) id quod & postea pluribus confirmat. m)
Huius tandem promissi rationem verba adfert meditationi nostrae
iam proposita, *QVONIAM*, inquiens, *& ego viuo, & vos viuetis.*
Hoc igitur, quod & ipse viuat, & illi viucturi sint, argumento esse
debebat, quod ipsum visuri sint, & quidem modo longe excellen-
tiori, quam praeterito tempore, quo eum non satis nouerant. n)
Addit enim: *In illa die vos intelligetis, & me in Patre meo, & vos in
me, & me in vobis esse.* o) Ita scilicet ipse viuus illis viuentibus sepa-
ratus erat, p) PRIMO quidem per redditum in vitam & Spiritus
sui missionem, q) TVM vero etiam adspicu gloriae suae r) tandem
ipsis concedendo. s)

Atque haec quidem de nexu & fine verborum, quae iam sin-
gula curatus expendenda sunt, idque per utrumque sermonis mem-
brum, quorum PRIORI, ZΩ ΕΓΩ, EGO VIVO, CHRISTVS inquit,
POSTERIORI pergit: KAI ΤΜΕΙΣ ΖΗΣΕΣΣΩΕ, ETIAM VOS VIVE-
TIS, quae & orationis structura, & re ipsa sunt coniunctissima.

Quod itaque ad PRIVS MEMBRVM attinet, ante omnia confide-
randus est is, qui hic sermonem faciens magno affectu se ipsum
nobis exerto quasi digito monstrat, ζω ΕΓΩ, EGO, inquiens, viuo.
Idem ille, qui iam antea dixerat: EGO sum via, & veritas & vita, t)
& qui deinde discipulis, bono, ait, estore animo, EGO vici mun-
dum: u) idem & hic sese ipsum mortis victorem, vitaeque auctorem
illis sifstens, EGO, inquit, viuo. Quantum vero pondus illi voculae,
EGO, insit, ex eo patet, quod, ordinaria Graeci sermonis ratione
eam non requirente, verbo non solum SUPERADDITA, sed etiam ma-
ioris affectus indicio POSTPOSITA est, quum more consueto praepo-
nenda fuisset. Non itaque dicit tantum: ἡτι ζω, neque etiam: ἡτι
ζηω ζω; sed ἡτι ζω ζηω, quod hanc vim habet: quoniam, quod maxi-
me notate, EGO, EGO, EGO, inquam, viuo.

Ne,

k) Apoc. I, 7.

l) Act. X, 40. 41.

m) Io. XVI, 16. 19. sqq.

n) Cap. XIII, 9.

o) Comm. 20. coll. comm. 10. II.

p) Comm. 21.

q) Comm. 16.

r) Comm. 18. 20. coll. cum comm. 3.

s) Comm. 3. coll. cum c. XII, 26. c.

XVII, 24.

t) Comm. 6.

u) Cap. XVI, 33.

Ne, quæsio, vilipendamus, quod tanto cum studio se ipsum
nobis commonstrat optimus SERVATOR noster. Dolens ipse
quam rectissime intelligit, quantopere per ~~an~~ mentis nostræ
oculi ab ipso auersi sint, & quam aegre ad ipsum respiciamus. Intima
misericordia motus considerat, quam non agnoscamus maximo
nostro malo, quis & quantus ipse sit, immo vel moniti illud agno-
scere nolimus, quod ipse sit is, in quo vnicum omnis spei ac so-
latii fundamentum positum sit. Atque hinc est, quod tenerrimo
amoris affectu se ipsum toties toties nobis exhibit, vt, si fieri
posit, ab omnibus rebus aliis oculos animosque nostros ad se solum
conuertat, quo ipsum vnum intueamur & audiamus, tandemque
vera fide ad eum, in quo omnis salus nostra collocata est, acceden-
tes, *viam per eius nomen adipiscamur.* x)

Neque vero & hoc praetereundum, ipso emphatico positu
vocis EGO ad alteram commatis sequentis, VOS, qua svos SECVM
COMPARAT DOMINVS, respici. *Vivo EGO, inquit, & VOS viuetis.* Indicat igitur eo ipso arctissimum illud vinculum, quod inter se suos-
que intercedat, vt intervadem & eos, pro quibus ille se vadet ad
mortem dederit, vt inter patrem & filios, immo vt inter caput cor-
poris & eius membra. Proinde dum adfirmat, *se ipsum vivere,* di-
cens: *EGO vivo, id fane vult, ne discipuli rem hanc a se alienam
esse, & ad se minime pertinere existimant.* Immo vero, vt illos
bono animo esse iubet, quod IPSE vicerit mundum; y) ita pariter
eos vult esse laetos atque alacres, non hac tantum de causa, quod
dicat: *VOS viuetis;* sed iam exinde, quod adfirmet: *EGO vivo.*
Ipsius enim vita vitam eorum simul iam complectebatur. Illo vivo
isti non poterant non vivere; contra, illo non viuente & ipsis erat
in perpetuum vita carendum. Atque hinc prius illud: *EGO vivo,*
quod de ipso CHRISTO tantum dictum videri poterat, non mi-
nus, vt suum bonum discipuli fide adprehendere & vindicare sibi
debeant, quam posterius: *& VOS viuetis.* Illud enim huius caus-
fa, ipseque CHRISTVS viuens eorum erat vita. z)

Ah! quanti nostra interest, vt vera fide praediti voculam hanc
EGO, quam facile sicco pede transimus, ad reliqua properantes,
immo vt illum ipsum, qui ea se mentis nostræ oculis praefentem
exhibit,

x) Io. XX, 31.

y) Cap. XVI, 33.

z) B. BRENTIVS ad h. l. Opp. Tom. VI.
p. 587. Homines natura sunt illiberales, &
quæ bona possident, ea se non aliis, sed si-

bi tantum possidere putant. Sed Christus
longe aliter est affectus. Dicit enim: Ego
vivo, & vos viuetis, hoc est, mea vita vestra
est. Quare, si ego vivo, fieri non potest,
quoniam & vos viuatis.

exhibit, defixo vultu ita intueamur, vt recte agnoscamus, quae nec
cesitudo illi nobiscum intercedat! Ipse causam nostram in se sus-
cipiens, factus est nobis singulis quasi alter EGO. Omnia nostra,
quasi sua esent, ad se spectare putat. Vult ergo, vt & nos, quae
ipse & fecit & perpesus est, & quidquid habet, nostraper fidem fa-
ciamus. Certe longe alia res est, si filii patrem, quem occisum pu-
tabant, dicenter audiant: EGO viuo; praesertim si sciant, inde suam
ipsorum vitam pendere; quam si eadem verba alienus quidam ho-
mo auribus accipiat. Hec! quam grata est vox EGO ex ore pa-
tris, nos adloquentis & sua bona commemorantis. At certe multo
gratior nobis esse debet ex ore CHRISTI, dicentis: EGO viuo;
nisi alieni ab illo haberri velimus. Ipsi peccatores, metu mortis de-
sperabundi, audita hac voce reuiuiscant aequum est, &, satis est, sa-
tis est, dicant, postquam viuit adhuc Dominus meus, IESVS CHRI-
STVS, adibo, cumque videobo, antequam moriar. a) Atque omnino
id vnum verbum recte intellectum tantam vim habet, vt eo vel mi-
ferrimus peccator, ex peccati, mortis & inferorum faucibus eruptus,
in vitam libertatemque adseratur. Quanto magis autem ii, qui vera
fide cum CHRISTO coniuncti sunt, dulcissima voce delectabun-
tur, quae vna mille nomina, quibus eum adpellare confueuerunt,
ipsis in memoriam reuocat? Is enim, qui, EGO, inquit, viuo, est
ipsis pro pontifice, rege, doctore, immo pro patre, fratre, sponso;
& si quae alia sunt nomina amoris & fiduciae plena, ea cuncta vnu
sustinet, iisque se cultoribus suis commendat. Sed abrumpendum
est filum, ne vni voci diutius immoremur, quae certe sola ita nos oc-
cupatos his diebus, nec sine eximio fructu, tenere posset, vt ad alia
progredi vix possemus. Et o beatum, cui ista fors obtigerit, si di-
gnus habeatur ex ore quasi DOMINI mentis auribus vocem istam
cum Apostolis accipere: Ipse EGO sum! b)

Quid vero est, quod de se ipso optimus SERVATOR adfir-
mat? Ego, inquit, VIVO. Quid vero opus erat, id tanto cum ad-
fectu adserere, quod oculis cernebant, & de quo non dubitare pote-
rant, qui circa ipsum erant, discipuli? Quomodo enim non viuum
crederent, quem nunquam adhuc mortuum probe nouerant, & iam
loquentem audiebant? Sane igitur NON DE ISTA VITA, QVAE EX
coniunctione animi cum corpore OMNIBVS HOMINIBVS COMMUNIS est, ser-
mo DOMINI accipi debet. Quid enim tum sibi vellent verba:
Vos me videbitis, quia ego viuo? Neque etiam hic eorum sensus esse
potest:

a) Gen. XXXXV, 28.

b) Luc. XXIII, 39.

poteſt: *Vos me porro videbitis, quia adhuc viuo, nec dum mortuus sum.*
Igitur bono animo eſtote. Imminiebat enim fequenti die mors,
eamque imminentem & antea praedixerat, & praecedenti comma-
te denuo immuterat, dicens: *Poſt paulo iam me mundus non videbit.*
Et nimis certe infirmum ſolatum fuiſet, ſi nihil aliud significas-
et, quam ſe per paucas faltem horas in viuis futurum, impendente cru-
cis ſupplicio prorsus deſtruendum & abolendum; quod diſcipulis,
vim huius verbi CHRISTI non intelligentibus, ita eueniſſe noui-
muſ. c)

De alia igitur, eaque LONGE EXCELLENTIORI VITA, eſt acci-
piendum, quod CHRISTVS dicit: *Ego VIVO*, quam de hac vita,
quam omnes naturae lege viuimus. Et PRIMO quidem de vita ſua
ipſe dicit: *Vt Pater vita praeditus eſt, ſic etiam Filio dedit vita praedi-
tum eſe*, vel ſecundum vim Graeci sermonis ſignificantius: *Sicut
Pater habet vitam in ſe ipſo, tamquam verus ac viuus DEVS, fons ac
origo omnis vitae, ſic dedit & Filio habere vitam in ſe ipſo;* idque
cum ſecundum diuinam naturam per aeternam generationem & ſuae
eſentiae, quae ipla vita eſt, communicationem, tum etiam ſecun-
dum humanam naturam, per gratiam vniōnis cum diuina eiusdem
vitae particeps, quemadmodum ei poteſtatem dedit etiam iudicium
exercendi, quoniam homine natus, ſive, quatenus filius hominis fuit. d)
Sic igitur ea vita praeditus erat, vt, aequa ac Pater, vitam haberet in
ſe ipſo, viueretque & qua DEVS, & qua μετρης, ex vi indiſtolubilis
vitae. e) Atque hinc porro ita viuebat, vt ipſius vita FONS EſSET ac
cauſa OMNIS VITAE, quae eſt in hominibus aliis. *In eo enim erat vita,*
& haec vita erat lux hominum, f) lux nimirum ipſius vitae; g) ſicuti
ipſe, vt princeps vitae, gg) rurſus ait: *quemadmodum viuit Pater, ita &*
ego per Patrem viuo, &, qui me vefcetur, is quoque PER ME viuet; h)
alias vita omnino cariturus. i)

Maxime omnium vero DEINDE notandum, quod MORTIS ſuae
iam instantis toties MENTIONE INJECTA, nihilominus tanto cum pon-
dere iam dicat: *Ego VIVO.* Sane, ipſo euentu edoc̄i perſpic-
imus, & hoc ſignificare hac voce optimum SERVATOREM, quod,
licet crucis ſupplicio adſciendus, necandus, immo & ſepeliendus
ſit, nihilominus tamen vel moriens a morte aut vlo alio hoste non
laedendus & opprimendus, ſed potius, quum vt DEI filius vitam in
fe

c) Luc. XXIII, 19, 20, 21.

g) Cap. VIII, 12.

d) Io. V, 26, 27.

gg) Act. III, 15.

e) Hebr. VII, 16.

h) Io. VI, 57. 1 Cor. XV, 45.

f) Io. I, 4.

i) Comm. 53.

Se ipso, ipsamque inde humanam vitam in sua potestate positam habeat, breui post fuscitandus, atque tolerata nostra causa morte, etiam qua homo vitam indisolubilem posthac, ut viator ac dominus mortis & diaboli, aditus sit, sua aequa ac Patris auctoritate surrectus, k) & suis deinceps ad futurus perpetuo, usque ad finem saeculi. kk) Hinc est, quod IESAIAS praedixit: *Si animam suam piaculo expuerit, semen adipiscetur diuturnum, siue secundum Hebraeum sermonem, dies prolongabit, id est, in omnia saecula viuet.* l) Hinc PAVLVS, scientes, inquit, *Christum ex mortuis excitatum non iam moriturum esse, non iam morti esse obnoxium. Quod enim mortuus est, peccato expiendo & abolendo mortuus est semel, quod vero vivit, DEO vivit.* m) Idemque: *Si per debilitatem cruci adfixus est, at vivit per DEI potentiam.* n) Immo hinc est, quod ipse CHRISTVS per viam diuinum praedixit: *Non moriar, sed, per mortem ad vitam transiurus, viuens Iehouae facia narrabo.* o) Hinc ipse paulo ante, animam meam, inquit, pono, ut eam resumam, eam mihi nullus eripit, sed ipse eam mea sponte pono. Potestatem habeo, eam ponendi, itemque potestatem habeo, eam rursum sumendi. p) Et denique, cum iam in vitam rediisset, EGO, inquit, sum primus & ultimus, qui VIVO, & fui MORTIVUS, & iam sum VIVUS in perpetua saecula. q) Idemque paulo post illum se dicit, qui in medio septem aureorum candelabrorum ambulet; innuens, se ita viuere, ut vniuerso suorum coetui perpetuo praefens adsit. Quae omnia satis declarant, quam augusto sensu, ad ipsam mortem imminentem respiciens CHRISTVS, dicat discipulis: *Ego VIVO; eo ipso simul complectens omnem illam gloriam, quam in ista vita, ad dextram Patris euenendus, & in conspectu eius gaudis amoenissimis satiandus,* r) exspectabat, hostibus omnibus debellatis in omne aeuum regnaturus.

Sed & merito ipsius PRAESENTIS temporis, quo vtitur, ratio hic habenda est. Non enim, ego, inquit, viuam vel vieturus sum; nec

k) LUTHERVS ad h. l. Tom. X. Lipf. p. 70.
Ich will leben, ja ich lebe bereits jetzt. So gewiss hat ers, daß er sich lebensdig nenmet, indem als er jetzt sterben soll und in den Tod gehen. Denn er ist die Person, den der Tod nicht fressen könnte, ob er ihn wohl nach dem leiblichen Leben tödet. Darum trotzet er beyde wider den Tod, Teufel und Welt: Lafs sie mich kreuzigen, südten und dazu begraben; noch sollen sie mich nicht erwürgen und freisen, sondern ich will da-

gegen den Tod in mir selbst erfäufen und in meinem Leben verschlingen, und den Teufel durch meine Kraft überwinden.

kk) Matth. XXVIII, 20.

l) Ies. LIII, 10.

m) Rom. VI, 9. 10. Ebr. VIII, 28.

n) 2 Cor. XIII, 4.

o) Pf. CXVIII, 17.

p) Io. X, 17. 18.

q) Apoc. I, 17. 18. qq) c. II, 1.

r) Pf. XVI, 11.

nec etiam, ego adhuc vixi, & rursus vixurus sum; sed uno verbo omnia tempora complectitur: Ego VIVO. Quid? quod non modo tempora omnia, sed &, si diuinam naturam species, ipsum aeternitatis quasi immutabile momentum, quod nulla temporum circumscriptio metitur, ista ratione significat. Dicit ergo: Ego VIVO, cum QVIA veritas & vita, s) vitaque maxime vera & aeterna ss) ipse est; tum QVIA, licet humana vita vere dissoluenda esset, hac tamen, quam ex unione diuinae naturae etiam qua homo habebat, priuari nuncquam posset, quippe cuius virtute & humanam illam refumturus erat, ipse resurrectio & vita; t) tum etiam QVIA hinc virtus & efficacia illius etiam vitae, ad quam ex morte redditurus erat, ipsi iam aderat; & denique, QVIA spe indubia resurrectionem suam ita praesentem habebat, vt, quasi vita ipsius morte omnino non interrumpta esset, & tamquam momentum illud temporis iam præteriisset, etiam de eo, quod futurum erat, quasi iam adeset, loquatur: sicuti de gloria, licet eo tempore exspectanda, tamquam de praesente, eodem dicendi modo antea usus fuerat. u)

Tandem, quae supra iam paucis monuimus, quod scilicet vita CHRISTI, dicentis, EG O viuo, nostram omnium vitam simul complectatur; ea hic denuo ad omnia illa merito referenda sunt, quae de sensu, quo CHRISTVS se vivere adfirmet, iam disseruimus, maxime si FINEM, quo verbum hoc in solatium discipulorum & nostrum omnium protulit, spectare velimus. Profecto enim, evm quod vitam diuinam, omnis vitae fontem, & qua DEVIS, & qua homo habet in se ipso: tvm quod vitam humanam, quam nostra causa cum morte commutare volebat, paullo post refumturus, & in perpetuum ad DEI dextram seruaturus erat; tvm etiam quod in praesenti tempore se vivere tradit: x) id omne ad nos pertinere docet, dum eo ipso nobis aequa ac discipulis, quos pupilos relinquare noluit, xx) spem sui videndi facit. Vos enim, inquit, videbitis me, QVONIAM ego viuo. Eius VITA DIVINA, quam per Patrem & cum eo ab aeterno habet, ideo commemoratur, quia nos per ipsum vivere debemus, sicuti ipse per Patrem. Quidquid igitur huius vitae viuit, id nobis omnes viuit. Ipse VITA HUMANA RESUMTA iam claves habet orci atque mortis, y) vt eius vita nobis exitus ex isto carcere pateat. Quum CHRISTVS ex mortuis surrexit, fuit eorum,

B

qui

s) Io. XIII, 6. ss) Io. V, 20.

x) Hebr. VII, 8.

t) Rom. I, 4. Io. XI, 25.

xx) Io. XIII, 18.

u) Io. XIII, 31. 32.

y) Apoc. I, 18.

qui obdormierunt, primitiae. z) Atque ille, qui in praesentitate tempore se vivere perhibet, DOMINVS noster IESVS CHRISTVS & heri & hodie & idem est in sempiternum. a)

Quae serio cogitantes, maius certe cum IOBO solatium non habebimus, quam hoc ipsum, quod sciamus vindicem nostrum VIVERE, & postremum in puluere tamquam victorem fletisse; certissimi exinde, nos etiam, si vere illum viuum credamus, eum visuros esse, & nostris ipsorum, non alterius oculis adspecturos, si vel ante acutissimis doloribus renes nostri sibi consumendi. b) O! quantus hic denuo campus aperitur animo pia meditatione ingrediendus, animo, dico, CHRISTVM viuum & rediuuum verae fidei oculis contemplanti, & cum natura vitae illius utriusque, & diuinae & humanae, fontem hunc omnis vitae nostrae recte intuenti. Vnde etiam iucundissimus transitus ad ea patet, quae nobis ex vita CHRISTI resurgentis bona exspectanda sunt.

Atque haec ipsa sunt, quae POSTERIORI MEMBRO DOMINVS complectitur, dum addit: καὶ τέμεῖς ζήσεσθε, ET VOS VIVETIS. Quae sane verba, aequae ac priora, magna rerum pondera continent, & proinde etiam vberius expendi merentur. Sed vela contrahenda sunt, ne limites nimium transgrediamur. Vnde, quanta fieri poterit, paucitate rem expediemus.

Ipsa particula καὶ, ET, quae utrumque membrum orationis coniungit, emphasi non caret. Ea enim PRIMO arctissime COPVLAT CHRISTI vitam cum ea, quae discipulis ab ipso promittitur, & hanc cum illa. Dixerat: Ego viuo; continuo addit: ET vos viuetis. Sic arctissime coeunt, immo se mutuo quasi complectuntur, CHRISTI & nostra vita. DEINDE hoc ipso manifesto declaratur, CHRISTI vitam vnicam nostrae CAVSSAM esse, & hanc illi soli acceptam ferendam. Hoc enim valent ista verba: Ego vino, ET propterea, quia ego viuo, etiam vos viuetis. Ego enim viuo tamquam is, qui & mortem abolevit, & vitam ac immortalitatem reparauit. c) Sicut enim per Adamum omnes moriuntur, ita per me omnes reuiuiscent. d) DENIQUE haec ipsa arctissima copulatio, instituta quasi comparatione inter CHRISTI & nostram vitam, SIMILITUDINEM declarat, quae inter utramque intercedit, de qua & PAVLVS Apostolus, QVEM AD-

z) 1 Cor. XV, 20. Col. I, 15.

c) 2 Tim. I, 10.

a) Hebr. XIII, 8.

d) 1 Cor. XV, 22.

b) Iob. XVIII, 25. 26. 27.

ADMODVM, ait, *Christus ex mortuis in paterna gloria resurrexit.*
SIC & nos in nouitate vitae incedimus. Si enim eius mortis SIMILITUDINE instituti facti sumus, etiam RESVRRECTIONIS erimus. e)

At significancia huius particulae ET non satis intelligitur, nisi vera fides nos ipsos cum CHRISTO DOMINO nostro intime coniungat. Hac autem coniunctione facta, hem! quanti momenti illud verbum tam exiguum esse agnoscitur, ut vix inde ad reliqua pergere liceat & verborum & rei nexum hunc cogitanti: *CHRISTVS viuit, ET, ET, HINC ETIAM, CERTO* aequa ac *SIMILI MODO ego viuam.*

Progrediendum vero ad eos, quos tam grato vinculo sibi iungit optimus SERVATOR, *VOS, VOS*, inquiens, *viuetis.* INITIO quidem pronomen hoc, aequa ac illud *EGO* priori membro, ABUNDARE in sermone videmus. Sufficiebat: καὶ ζήσεσθε; sed significantius est: καὶ τέμενες ζήσεσθε, & per se consideratum, & cum illo, εἶναι, comparatum. Superfedemus tamen pluribus illud denuo explicare, quod supra id factum esse meminimus.

ADDIMVS unum hoc, tum demum perspici hanc sermonis δέσμον, quum quis vere agnoscens, peccati stipendia mortem esse, f) intelligit, quam mirabile dictu sit, peccatori, morri obnoxio, viendum esse. CHRISTVM viuere, facile is concedit, sed se victum esse, vix sibi persuadet. Hinc CHRISTVS non tantum cum emphasi dicit: *EGO viuo;* sed statim quoque addit: & *VOS, VOS* viuetis. Idemque & nunc praeteriens, & conspicatus animam hominis peccatoris in cruento suo voluntatem, tamquam infantem sub dio abieciit, ei dicit: *Viue cruenta, viue, inquam, cruenta,* g) quae ob peccata tua morti aeternae addicta fueras. Et heu! quam grata CHRISTI vox est homini de admisis peccatis dolenti, si ipsi ligillatim eam per Spiritum suum ad�licat, dicens: *TV, TV, miser peccator, viues!* id quod sola docet experientia.

In ipso porro sermone manifestum est, CHRISTVM DISCIPULOS suos adloqui. Hi ergo sunt, quibus dixit: *VOS viuetis.* Sed num illi soli? O felices tum illos, nos vero miseros! Sed in vado res est: minime illi soli, exclusis omnibus aliis, adpellantur. Nam *quibus meis*, inquit CHRISTVS, *vitam do sempiternam.* h) Et IOANNES;

B 2

c) Rom. VI, 4-5.
d) Comm. 23.

g) Ezech. XVI, 6.
h) Io. X, 28.

ANNES: *Hæc scripta sunt; vt credatis, IESVM esse CHRISTVM, DEI filium, vtque credentes VITAM per eius nomen adipiscamini.* i) Omnesigitur, quotquot in nomen CHRISTI credunt, non minus quam Apostoli, idem promisum suum faciant, sibi vindicent. Quid vero, si quis se ouibus CHRISTI nondum accensere poscit? si conscius sibi sit, se nec credere in CHRISTVM, nec sui animi viribus posse, etiamvelit? Audiat is Apostolum dicentem: *Quemadmodum vnius delicto factum est, vt omnes homines damnarentur, lata scilicet damnationis sententia diuina: sic etiam vnius iniustitia fit, vt omnes homines absoluantur atque viuant,* k) hoc est, possint, dummodo ne ipsi nolint, absolui a damnationis sententia, & vitam consequi. Sivero DEVS non expedit mortem peccatoris, l) nolens quemquam perire; m) sine fide vero in CHRISTVM viuere nemo potest: certe fidem exhibet & offert omnibus, n) nullaque re magis offenditur, quam si quis nolens credere, se ipsum vita aeterna indignum iudicat. o) Quare merito iudicamus, omnibus, etiam miserrimi, & quorum res conclamatae sunt, peccatoribus SERVATOREM dicere: *Etiam VOS viuetis;* at non aliter, quam vt in seriis ob peccata sua doloribus diuinum donum fidei in nomen suum admittant. Minime tamen haec vox: *VOS viuetis*, ad eos pertinet, qui secure peccare pergentes, nihilominus omnibus a CHRISTO suæ vitae pretio adquisitam vitam exspectant. Audienda vere est tremenda legis vox: *Omnino moriendum tibi est!* priusquam istam euangelii vocem: *Tu viues!* quisquam sibi singulatim a CHRISTO dictam putare posit, cuius nec blandus susurrus auditur, nisi praecedente vehementi vento ac terrae motu, p) hoc est, post terrores legis, quos consolatio euangelica excipit & tollit.

Tandem vero adecurati considerantes, quid sit illud, quod discipulis & omnibus in nomen suum creditibus promittit CHRISTVS, dum, vos VIVETIS, ait; statim patet, hic pariter, quam antea, NON DE illa VITA, quae ex animi cum corpore coniunctione est, & quam NATVRALEM vocare vulgo solemus, sermonem esse. Neque enim haec vita, quam iam tum viuebant discipuli CHRISTI, futuro demum tempore exspectanda erat. Nec sane de eo loquitur CHRI-

i) Cap. XX, 31.

k) Rom. V, 18.

l) Ezech. XVIII, 23.

m) 2 Petr. III, 9.

n) Act. XVII, 31.

o) Cap. XIII, 46.

p) 1 Reg. XVIII, II. 12. 13.

CHRISTVS, quae GROTII sententia est, quod ex MORTIS PERCVLO, id quod ipso capto & cruci adfixo incurgere videbantur, sint eripiendi, ac in vita incolumes conseruandi. Minime enim id convenit neque cum priori membro: *Ego viuo, vbi potius, si ista ipsius mens fuisset, dicendum erat: licet ego moriar, vos tamen viuetis; neque cum iis, quae statim sequuntur: In illa die vos intelligetis, & me in Paire meo, & vos in me, & me in vobis esse.* q) Atque hinc etiam manifestum est, PRIMO vitam hanc, quam suis CHRISTVS pollicetur, eam esse, quae ab ipsius vita, & maxime ab eius resurrectione pendeat, vt saepe diximus; DEINDE illam ipsam vitam, quam omnes in CHRISTVM credentes ipsi soli debeant, in sensu longe amplissimo & augustissimo esse accipiendam, ita vt, quidquid vitae verae, bonis omnibus cumulatae & gloriae dici potest, id omne illa complectatur. r)

Atque vt illam distinctius, & prout ratio illius ab ipso CHRISTO & Apostolis exposita est, contemplemur, primo loco ad eam iure referimus ipsam ΔΙΚΑΙΩΣΙΝ nostram, proper quam reuixit CHRISTVS. s) Nam non modo *Jangue eius iustificati defendemur per eum*, qui pro nobis mortuus est, a supplicio mortis; sed multo magis etiam reconciliati seruabimur PER VITAM eius. t) Immo ex ea dñi ueritate ius consequimur ad ipsam vitam aeternam, dum gratia PER IVSTITIAM hanc regnat ad SEMPER NAM VITAM per CHRISTVM IESVM. u)

Deinde praecipue hic intelligenda VITA, quam SPIRITUalem dicere solemus, eaque non modo, si de viribus credendi ex CHRISTI resurrectione collatis accipias, ipsam iustificationem praecedens; sed etiam, si de pleniore intelligas regeneratione ac noui hominis, CHRISTI Spiritu deinceps viventis, creatione, illam, licet utraque tempore sit coniunctissima, ordinis ratione sequens. Atque de hac

B 3

PAV-

q) Comm. 20.

r) FRID. AD. LAMPVS IN JOANNEM ad h. I.
Sublimorem sensum huius vitae agnoverunt
confaneer Patres. Sed quum vita, quae
per embasim obiectum est spei fidelium, suos
gradus habeat, hinc in diversa iterum abie-
runt. De gaudio THEOPHALACTVS,
de vita spirituali RUPERTVS, de resur-
rectione ultima AVGUSTINVS, CHRY-
SOSTOMVS, CYRILLVS atque alii co-
gitarunt. Verum omnia haec subordinari

posunt sibi iniucem, quia ita per gradus
discipuli in sempiterna vita perfectam pos-
sessionem transferendi. Ipse LAMPVS ad
hanc vitam refert, 1) laetitiam discipulo-
rum viro magistro rediuiuo, 2) ius ad vi-
tam per iustificationem, 3) vitae spiritualis
initia, 4) plenam vitac aeternae posses-
sionem. Videatur etiam B. BRENTVS l. c.

s) Rom. III, 25.

t) Cap. V, 9. 10.

u) Comm. 21.

PAVLVS; DEVS, inquit, misericordia diues tanta nos caritate complexus est, ut, quum delictis essemus mortui, revocauerit nos in vitam vna cum CHRISTO: (en vitam hanc ex CHRISTI vita & nostra cum illa communione deriuatam!) simulque fuscitauerit, & in CHRISTO IESV hoc praesenti iam tempore in caelestibus collocauerit. x)

Huic vitae spirituali accensenda omnia illa DONA, quibus ista per CHRISTI Spiritum statim exornatur, quae omnia una voce appellat PAVLVS ἐνλογίαν πενικατίν, qua nos DEVS in rebus CHRISTI caelestibus fortunauerit. y) Ex infinito donorum illorum numero hic saltem nominamus pacem & gaudium in Spiritu sancto, z) a CHRISTO discipulis promissa, a) & post redditum in vitam praefixa bona, b) at simul omnibus in ipsum credentibus communia. c) Et sane GAVDIVM hoc eo iure ad vitam hanc pertinet, vt ipsa vita dicatur; d) dum PSALTES, Comedent, ait, inopes ad satietatem, Ichovam laudabunt, qui illum querunt, animisque VIVENT in perpetuum, e) siue, si proprietatem Ebraei sermonis exprimere velimus, vivet cor vestrum aeternum. Cur aeternum? Quia DEVS, Pater Domini nostri IESV CHRISTI, sua singulari misericordia CHRISTVM ex mortuis fuscitando regenuit eos in VIVIDAM SPEM, f) (quae ipsa inter dona illius virae referenda) ad immortalem, impollutam & inuidiam haereditatem in caelis repositam. g)

Nec minus CONSERVATIO perpetua eiusdem vitae simul isto promisso comprehenditur. Neque enim de initiis tantum vitae loquitur CHRISTVS, sed, VIVETIS, dicit, scilicet ita, vt meae vitae beneficio excitati posthac eiusdem virtute semper perfruamini. Hinc est, quod cum Apostolo vere in CHRISTVM credentes singuli dicere possint: Vivio non iam ego, sed vivit in me CHRISTVS, h) qui

x) Eph. II, 4. 5. 6. Col. II, 11. 12. 13.

y) Eph. I, 3.

z) Rom. XIII, 17.

a) Io. XIII, 28. c) XVI, 21. 22.

b) Cap. XX, 19. 21.

c) Rom. V, 1. 2.

d) FRID. AD. LAMPVS l. c. Vivere saepe tantundem est ac laetari & felicem esse, Job. XXI, 7. Prou. XVI, 15.

e) P. XXII, 27. P. LXVIII, 33.

f) B. AVG. HERM. FRANKIVS Programm.

XI. p. 262. In eam putam spem, quae vi resurrectionis CHRISTI reddita est VIVA

ac VIVIDA, non modo quod ea spes per resurrectionem CHRISTI certa & indubia, ideoque vividior, reddita sit, sed etiam quod CHRISTI fuscitatio & ad dexteram DEI sedentis VITAM per Spiritum eius vivificum in se complectatur fide ac possideat. Vnde sit porro, ut iam CHRISTVS, qui est spes nostra, in nobis ipse vivat, in intimaque fui ac bonorum suorum omnium communione nos, vi sua refectionis, conglutinatos secum per fidem, intronisset.

g) 1 Petr. I, 3. 4.

h) Gal. II, 20.

qui ipse per fidem habitat in animo meo. i) Ipse adeo CHRISTVS est vita eorum, qui cum ipso surrexerunt, eos Spiritu suo animans; vnde & vita ipsorum, quae cum CHRISTO apud DEV M latet, k) maiores subinde vires adquirit, viuidiorque adparet.

Porro, sicuti CHRISTVS dicit: *Vivo ego, quod, licet istum serpentis illius antiqui calcaneo excipere & mortem subire debuerit, ab hisce tamen hostibus laedi nullo modo potuit: ita quum addit: & vos vivetis, suis eiusmodi vitam promittit, cui, licet peccato, morbis, aerumnis, inimicis hominibus, periculis summis, ipsa morte, diabolo item eiusque exercitu, tam visibili, quam inuisibili, circumdata sit, ac tantum non opprimi videatur, NILLA tamen NOXA INFERRI possit, quamdui ipsi CHRISTO, vitae suae, per fidem coniuncti manent. Longe aliter externam rerum speciem intuenti non potest non videri; at vere tamen ita est, ut nec morientibus ipsa mors dominari possit, sed famulari cogatur & ad vitae melioris pleniores vsum eos transferre. l) Sic enim denuo CHRISTVS, Ego sum, inquit, resurrecio & vita. Qui in me credit, etiam si mortuus sit, reuiniscet. Num hoc solum? Immo addit: Quisquis vivit & in me credit,*

i) Eph. III, 17.

k) Col. III, 1, 2, 3.

l) LUTHERVS I.c. cuius verba efficacissima integra transcribere non piget: *Also haben wir die trößliche Verheißung, denen Christen gegeben, so da gesbrecke werden durch den Tod und allerley Unglück, daß sie können trotzen wider den Teufel und die Welt, und sagen: Wenn du mich tödest, so tödest du mich nicht, sondern hilfest mir zum Leben. Begrüßt du mich, so reisest du mich aus der Aschen und Staube gen Himmel. Und Stimma, dein Zorn und Tod, ist eitel Gnade und Hälfte. Denn du gibst mir nur Ursache und den Anfang, daß mich CHRISTVS zum Leben bringet; wie er hier spricht: Ich lebe, und ihr sollt leben. Ja, (spricht Fleisch und Blut) ich muß gleichwol den Kopf herhalten? Ja, das schadet dir nichts, (spricht CHRISTVS) sie haben mich auch gereutiger, erwürgter und ins Grab gelegt: aber, wie sie mich im Grabe und Tode gehalten haben, so sollen sie euch auch darinnen halten. Denn es heißt und soll so heißen: Wie ich lebe, sollt ihr auch leben, das soll mir weder Teufel noch Tod webren. Diese Worte muß ein Christ lernen fasen, und seinen CHRISTVM also kennen in seinen trößlichen Verbeisungen, ob ihm der Tod den Stich beut mit seinem Spieß, und der Teufel seinen Höllen-Rachen gegen ihn aufsperrt, daß er nicht davor erschrecke, sondern könne dem Teufel wieder den Trotz bieten durch den Glauben, auf diese Worte: Weißt du auch, wie du deu Herrn CHRISTVM auch gefresen hast, und doch hast du müssen wiedergegeben, ja er dich wieder gefresen hat? Also sollst du mich auch ungefresen lassen, weil ich in ihm bleibe, und um seinet willen lebe und leide. Ob man mich drüber aus der Welt jager, und unter die Erde scharrer, das lasse ich geschehen; aber darum will ich nicht im Tode bleiben, sondern mit meinem Herrn CHRISTO leben, wie ich glaube und weiß, daß er leben. Solchen Trost und Trotz haben*

auch darinnen halten. Denn es heißt und soll so heißen: Wie ich lebe, sollt ihr auch leben, das soll mir weder Teufel noch Tod webren. Diese Worte muß ein Christ lernen fasen, und seinen CHRISTVM also kennen in seinen trößlichen Verbeisungen, ob ihm der Tod den Stich beut mit seinem Spieß, und der Teufel seinen Höllen-Rachen gegen ihn aufsperrt, daß er nicht davor erschrecke, sondern könne dem Teufel wieder den Trotz bieten durch den Glauben, auf diese Worte: Weißt du auch, wie du deu Herrn CHRISTVM auch gefresen hast, und doch hast du müssen wiedergegeben, ja er dich wieder gefresen hat? Also sollst du mich auch ungefresen lassen, weil ich in ihm bleibe, und um seinet willen lebe und leide. Ob man mich drüber aus der Welt jager, und unter die Erde scharrer, das lasse ich geschehen; aber darum will ich nicht im Tode bleiben, sondern mit meinem Herrn CHRISTO leben, wie ich glaube und weiß, daß er leben. Solchen Trost und Trotz haben

dit, nūquām moritūrū est. m) Quomodo igitur? Quia credens in CHRISTVM ex morte iam migravit in vitam, habetque vitam aeternam, n) quae, quidquid in corporis morte mors dici potest, ita aboleuit, vt nil nisi somnus cum laetissimae aurorae & excitationis spe superfit.

Sed illo etiam sensu CHRISTVS dicit: *Ego viuo, quod ipse non tantum laedi vel moriens a morte non posit, verum etiam suo in vitam reditu mortis vītor ac domitor futurus sit. Idem igitur, & vos, inquiens, viuetis, perfectam suis VICTORIAM DE peccato, MORTE & hostibus omnibus pollicetur, adeo, ut aliquando dicturi sint: Vbi est tuus, o mors, stimulus? vbi tua, o orce, vīctoria? DEO gratia, qui nobis vīctoriam dat per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM. o) Continget vero hoc in gloriosa ipsius corporis resurrectione. Nam quum hoc corruptibile incorruptam naturam, & hoc mortale immortalitatem induerit, tunc accidet id, quod illo scripto confignatū est: Absorpta est mors vīctoriose. p) Interea dum hi vīctores larvū quasi peccati & mortis testi latent, & a plerisque hominibus vīcti putantur, norunt ipsi, istas esse tantum larvās, & patienter aequē ac laetabundi cum CHRISTO exspectant, donec & illi, & ipsis in illo, omnes hostes fiant pedum subcellium. q) Viuent itaque in spe iam tum, & viuent in perpetuum, vt & mortis & diaboli vīctores per sanguinem agni DEI, IESV CHRISTI. r)*

Vivent denique aeternū illam VITAM GLORIOSAM, quam CHRISTVS iam ad dextram Patris euectus tenet. Ipse eos non modo excitabit, sed & humile ipsorum corpus ira transfigurabit, ut eamēdē cum ipsis gloriōso corpore formam habeat, pro ea vi, qua ipse sibi subiicere potest omnia. s) Atque tum demum perfecte hoc promisum implebitur: & vos viuetis. Tum scient ipsi perfecte, quid complectantur haec verba. In illa die intelligent plene, cuiusquidem rei initium dato Spiritu CHRISTI factū ante fuit, quod ipse in Patre suo, & Pater in ipso, & ipse in illis. t) Tum fiet, quod CHRISTVS

ben die Christen auf den HErrn CHRI-STVM. Denn wir glauben, daß er vom Tode auferſtauden ift, und sitzt zur rechten Hand des Vaters. Dadurch ſie lernen ſollen den Tod aus den Augen ſetzen und weit hinweg werfen, und daß wir nichts wissen noch dencken, denn ewig Leben, das ſie ſollen auch im Tode leben bleiben, und der Tod ſie soll ungerichtet lassen, er frēſſe denn zuvor CHRISTVM ſelbst, ſo droben lebet und re-

giret in göttlicher Majestät: welches er wohl wird müſſin laſſen.

m) Io. XI, 25, 26.

n) Cap. V, 24.

o) 1 Cor. XV, 55, 57.

p) Comm. 54, 55.

q) Hebr. X, 13.

r) Apoc. XII, II.

s) Phil. III, 21.

t) Io. XIII, 20.

STVS a Patre expetiit, dicens: Pater, volo, ut vbi ero ego, tu quoque
sint mecum, ut meam videant gloriam, quam Tu mihi dedisti, u) cum
ipsis, tamquam corporis mei membris, communicandam. Tum abs-
terget DEVS omnem lacrimam ex eorum oculis, nec amplius mors erit,
neque luctus. Tum victor posidebit omnia. x) Tum faciem DEI vi-
debunt, & eius nomen gestabunt in frontibus. Collustrabit ipsos Domi-
nus DEVS, & regnabunt in omnia saecula. y) Quamdiu CHRI-
STVS viuit, ipsi quoque cum illo in domo Patris viuent; quamdiu
CHRISTVS regnat, tamdiu cum ipso regnabunt; quidquid CHRI-
STVS possidet, cum ipso aeternum posidebunt.

O augustissimum promisum, quod unica voce, VIVETIS,
tot ac tanta rerum pondera complectitur, tam certum omnibus in
CHRISTVM credentibus, quam extra omnem dubitationem po-
situm, quod ipse ex mortuis excitatus post hac non moritur, sed viuit ac
regnat in omnia saecula. z) Idem sane & alienos adhuc a diuina
hac vita ad desiderium illius extimulare merito debet, & verbis
CHRISTI fidem adhibentes efficacissime solari potest, ut in cursu
suo strenue pergentes, quae alii maxima mala putant, ipsi hilari ani-
mo contemnant, quod sciant se cum CHRISTO & iam viuere, &
porro in perpetuum viukturos esse. Immo hi ipsi ex hac vita dis-
cedentes laeti exclamare posunt: οὐαὶ ἀποθνήσκοντες, καὶ οὐαὶ ζῶεν, ut
morientes, sed ecce! viuimus. a)

Nihil superest, nisi unum hoc, ut futurum temporis, quo CHRI-
STVS, viuetis, inquiens, usus est, quem antea de se ipso in praef-
enti loquitus, ego viuu, dixisset, rationem aliquam habeamus. Fa-
cile autem ex antea dictis intelligitur, eam maxime causam huic lo-
quendi modo subesse, quod DE EFFECTY EX CHRISTI REDITV IN
VITAM exspectando sermo sit, ipsaque adeo vita respectu etiam di-
scipulorum CHRISTI, nedum aliorum fidelium habito, si non o-
mni, maxima tamen ex parte tum futura erat. Sin obicias, fuisse
tamen discipulos CHRISTI aliqua saltem vita ex fide in illum praedi-
tos, responsum habe, quidquid eius fuerit, id omne offensione,
quam ex ignominiosa morte capturos praeuidit DOMINVS, tan-
tum non ablatum iri, haud ille ignorauit; immo vero scintillam,
quae forte supereset, nisi ipse in vitam rediret, penitus extinctum

C

iri.

a) Cap. XVII, 24.

x) Apoc. XXI, 4.

y) Cap. XXII, 4, 5.

z) Rom. VI, 9.

a) 2 Cor. VI, 9.

iri. Illius autem resurrectione ipso fortum vita spiritualis instauranda, immo quasi ex morte fuscitanda, & miso ex caelis Spiritu sancto eo perducenda erat, ut tum demum pleniori ipsius agnitionem consequentes vitae illius, quae noui foederis conditioni conueniret, initium caperent, in omnia saecula deinceps producendum. Haec igitur causa est, cur non, *vixit*, sed, *vivit*, optimus SERVATOR dicat.

DEINDE futuro tempore vitam illis pollicitus ostendit, illos sibi partim *similes*, partim *dissimiles* in illa ipsa vita futuros. *Dissimiles* quidem, quod non illo modo, ut ipse, vitam omnem in se ipsis habeant, nec confessim plenorem eius vitae vseram, sed per plures demum gradus & temporis interualla, adire possint. *Similes* vero, quod eadem via, qua ipse ad illam peruerasit, eis tum ad spirituali, tum ad aeternam vitam peruenientium sit. Antea enim *vetus homo simul cum ipso cruci adfigendus*, & *cum ipso moriendum peccato*, quam cum eo & per ipsum DEO vivere possumus. b) Prius Domini IESV occiso in corpore nostro circumferenda est, quam vita eius in nostro corpore repraesentetur. c) Et certares est: Tum demum, si simul moriui sumus, simul etiam vivemus. Si una toleramus prius, etiam una regnabimus. d) Sic enim nos destinauit DEV S imaginis filii sui & in morte & in vita consimiles, ut sit iste in multis fratribus primogenitus. e)

TANDEM QVE futurum illud NULLO MODO LIMITATVM vitam illam, vt antea diximus, in omnia saecula continuandam innuit. Quum enim absolute CHRISTVS suis dicat: *vivit*, idem hoc valer, ac si meae vitae virtute vitam acceperitis, tum *vivit* serie annorum nunquam interrupta. Etnisi ipsi hoc saeculo cum fide illam vitam excuseritis, nec ipsa mors ullam ei mutationem adferet, sed illam demum manifestiore, non mundo quidem, sed vobis reddet, dum, ex quo hinc migraveritis, *mecum eritis in Paradiso*. f) Excitati autem mea voce, qua corpora vestra, mecum in omne aeum manebitis. Sic illud, *vivit*, tale est, ut centenis ac millenis saeculis praeterlapsis, de futuris saeculis omnibus idem valeat. Nunquam dicendum erit, ut in hoc saeculo: *Viximus*, sed *vivimus* verbi

b) Rom. VI, 6. 8. II.

c) 2 Cor. III, 10.

d) 2 Tim. II, II. 12.

e) Rom. VIII, 29.

f) Phil. I, 23. Luc. XXIII, 43.

verbi CHRISTI semper dicendum erit: *Viuennus!* g)

Habetis, CIVES, amplissimum campum, in quem pia meditatione his diebus festis latissime expatriari positis, & quem nichilominus non emetiemini. Sufficiet vero, si vel illum vere ingrediamini, ubi certe non otiosas speculationes, sed sanctas delicias, sed vitam ipsam, eamque aeternam, in CHRISTO ex morte rediuitio inuenietis. Non opus esse putamus, ut viam Vobis pluribus monstremus. Sequimini tantum vestigia, quae expositis CHRISTI verbis Vobis simul ostendimus.

Si vero vultis, ut in summam omnia contrahamus, paucis haec habete. PRIMO, omnem verbi diuini auscultationem & meditationem, omnes preces, omne denique certamen eo, agendum, conferatis, ut mortem spiritualem, qua natura omnes tenemur, agnoscentes, serioque lugentes ac detestantes, tandem etiam vera fidei virtute, viuendoque sensu, quem supra vberius declarauimus, non tam verbis, quam sancto affectu dicere positis: CHRISTVS VIVIT. DEINDE & eo Vobis pergendum est omni animi contentione, ut eadem fide & alterum illud ad Vos referre, & pro se quisque adfirmare valeatis: ET EGO CHRISTI VITA EXCITATVS VIVO, ET VIVAM IN OMNIA SAECVLA. Omne sane punctum tulit in celebrandis his feriis, qui vtrumque hoc vere consequutus est, immo nihil ei ad aeternam ac summam felicitatem deest.

Ad hunc igitur finem ut & hanc scriptionem nostram, & omnes, quos attente ac reuerenter Vobis audiendos commendamus, sermones facios de reditu CHRISTI in vitam, omni studio referatis, Vos peramanter etiam atque etiam hortamur. *Pascha nostrum pro nobis immolatus est CHRISTVS: proinde festum agamus non vetere fermento, neque improbitatis malitiaueque fermento, sed sinceritatis veritatisque panibus non fermentatis.* h) CHRISTVS reparator vitae nostrae viuit. Viuat igitur & animus omnium, qui adhuc cum discipulis vero de peccatis suis dolore affecti fuerunt. Mortis CHRISTI consimiles facti, etiam vitae similes se esse ostendant. Comedant hi inopes, & satientur bonis eterna viuentium ad-

C 2

latis,

g) NONNUS in paraphr. ad h. I.

Kai μετὰ γαϊαν δεὶς ζώων ὅτι

μίμησον,

Kai δι' ἐμὲ ξυμπάντες δεὶς ζώο-

τε ηγέτη μέτις.

h. c. Et quia post terram, siue ex terra sublatuſ, ſemper viuus maneo, vos etiam omnes per me ſemper viuetis.

h) 1 Cor. V, 7. 8.

latis, quae iam ipsorum patria facta est, ad quam tendunt vnicē
CHRISTO duce. Exsultent omnes, qui DOMINVM amant, &
cum ipso similes sint ex orientis cum sua virtute solis. i) Nulla folli-
citudine neque terrore animum suum frangi patiantur, sed vere de-
montrent, se credere, CHRISTVM viuere, & se cum ipso viue-
re, hoc est, ex morte iam suscitatos, in caelestia loca euctos,
victores ac dominos peccati, mortis ac diaboli constitutos esse. Per-
gant eadem via, qua DOMINVS praeiuit, ad aeternam gloriam
properare. Quo magis ad eius mortem conformantur, eo plus resur-
rectionis eius vim cognoscendo, ad beatam illam ἐξανάστων εἰς οὐρανούς
contendant, k) ac certantes praeclarum fidei certamen ipsam vitam
sempiternam prehendant. l)

DEVS vero DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI,
gloriae Pater, Vos omnes ac singulos, CIVES, sapientiae & mani-
festationis auctore Spiritu donet, quo eum cognoscatis illustratis mentis
Vestrae oculis, ut sciatis, quid sperandum sit vocaris ab eo, & quam
locuples gloriofaque sit eius hereditas destinata sanctis. & quam excelle-
ns sit eius in omnes fidentes potentiae magnitudo, quam profici egre-
giū roboris virtute exseruit in CHRISTO, & eum, & nos, qui ve-
re in ipsum eredimus, simil cum ipso ex mortuis suscitando. m)
Ipseque DEVS pacis, qui ex mortuis reuocauit magnum illumonium
Pastorem per aeterni testamenti sanguinem, DOMINVM nostrum
IESVM, Vos rite componat in omnibus recte factis ad exsequendam
suam voluntatem, Vobis, vt ipsi pro immensa sua misericordia vi-
sum fuerit faciens per IESVM CHRISTVM, cui gloria in omnes
perennitates. Amen! n) P. P. in Acad. Fridericiana ipsis
Vigiliis Paschalibus prid. Non. April.

clcccxxxiii.


i) Iud. V, 31.

m) Eph. I, 19. 20.

k) Phil. III, 10. II.

n) Hebr. XIII, 20. 21.

l) 1 Tim. VI, 12.



Ja 1586

ULB Halle
001 508 687

3



St

VDN8

VDN7

